

Dissertatio inauguralis de febribus inordinatis / [Marshall Hall].

Contributors

Hall, Marshall, 1790-1857

Publication/Creation

Edinburgh : Abernethy & Walker, 1812.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ducuqtqq>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

FEBRIBUS INORDINATIS*.

AUCTORE MARSHALL HALL.

FEBRES inordinatæ illæ, de quibus paululum disputare lubet, tametsi inter initia lenius ac remissius trahere videantur; postea tamen, ubi aliquantum processerint, nequaquam aut gravis incommodi, aut periculi expertes sunt. Qui succumbunt enim ex his febribus, siquidem non cita morte corripitur, diuturno autem morbo fatigari et consumi solent. Februm quidem, juxta ac aliorum morbo-

* Syn. Atactæ, Selle. Ataxiques, Pinel.

Lentæ, Lommii, Hoffman, Huxham.

Hecticæ, Willis, Trnka, Willan.

Febricula, Manningham.

IV. 2. V. VI. Sauvages, &c. &c.

A

[Edinburgh: Abernethy &
Walker. 1812.]



rum, genera longe diversa sunt ; quæ singula bene perspecta, finita, atque inter se discreta habere, imprimis oportet : non ipsæ febres enim, quam rationes, et causæ, et curationes magis differunt.

Sed, de febrium generibus instituendis, diu inter medicos certamen fuit, quoniam auctoribus diversis, eædem febres aliis pares, aliis impares ducuntur. Febres lentas quidem, ab iis quæ malignæ vocantur, nihilo nisi gradu distare, Cl. CULLEN putavit ; a quibus tamen, nobis, si liceat tanti viri sententiam dubitare, plurimum differre visum est. Has febres vero, haud æque discrepare ab iis quæ *hecticæ idiopathicæ* a quibusdam nominantur, verisimile est : quamobrem unico generi, nomine inordinato, utramque habeo. Verum enimvero quoniam ea res in aliquo dubio se habeat, imprimis conabor, quibus præcipue rebus febris lenta a malignis aliena, hecticis vero affinis sit, indicare : quod, quo melius assequar, causas signaque harum febrium primum explicabo.

INORDINATA FEBRIS.

HÆC febris est diuturna quædam corporis imbecillitas. Solet tarde irrepere, procedere; obscure subsistere; diutius trahere; macie degerere; vix posse sanari. Assuescit etiam *inordinate*, modo remittere se, modo supra intendere. Arteriarum motus infirmi, crebri, inæquales; alvus sæpius soluta; sudor profusus, frigidus; sitis paululum, itemque caloris; urina initio alba, postea rubra est, rubrumque sedimentum dimittit.

QUI HUIC FEBRI PROCLIVES SUNT.

Huic feбри obnoxii maxime ii sunt, qui, a quibusvis causis, corporis admodum infirmi sunt; quod potissimum contingere solet iis,

qui vel sexus, vel ætatis ratione imbecilli, vel senectute confecti, vel priore aliquo morbo fatigati et exhausti sunt.

Patent igitur his febribus imprimis teneræ puellæ, quibus menstrua vel nimis profusa, atque ideo robora resoluta sunt; vel præternaturam suppressa, quod in eo morbi genere fit, quam *chlorosin* vocamus. Iisdem etiam febribus opportuniores eæ fœminæ sunt, quæ nimium lactis sui infantibus præbuerunt; quæ ex immaturis difficilibusve partibus sæpius laborarunt; vel denique quibus ultima menstrua decessura sunt.

Sed imprimis certæ quædam vitæ ætates inordinatis febribus proclives faciunt. HOFFMAN quidem infantes et senes ex iis maxime periclitari proposuit*; a WILLIS vero, pueros atque adolescentes præcipue in metu esse discimus†: WILLAN demum omnes eos admodum inordinatæ febri propensos esse

* Vide Hoffman, cura Duncan, t. i, p. 330.

† Vide Path. Cerebri, p. 111.

edocuit ; ac quidem, quoniam cuique harum ætati, ista febris quodammodo propria videatur, quatuor varietates, prout singulas ætates afficiant, instituit *.

CAUSÆ.

INORDINATÆ febris plurimæ ac longe diversæ causæ sunt ; quarum vero omnium commune est corporis vires multum convellere ; quippe enim, ut dixi, qui imbecilli et infirmi corporis sunt, huic feбри potissimum obijciuntur, omnes quælibet res, pro causis duci possint, quæ infirmos faciunt. Ante omnia quidem, necesse est, ut cuique corpus quam optime alatur, siquidem minime is incolumis esse potest, qui ex hoc parum valet : igitur,

* Diseases of London, p. x, 19, 142.

Hectica Infantilis.

Hectica Adolescentium.

———— Puerilis.

———— Senilis.

qui valentiore cibo eget, vel quod fere par est, quibus is etiam qui assumitur neutiquam ut decet concoquitur, feбри lentæ maxime patent: non absimili ratione, adolescentes qui nimis celeriter increverunt; senesque, qui multis annis quasi exhausti sunt, huic morbo procliviores sunt.

Convelluntur etiam vires immodico labore, exercitatione athletica, quieta cogitatione, nocturna vigilia, studiisque male ordinatis: neque minus sane infirmant animi moerores ac sollicitudo, perturbatus somnus, diuturna assiduaque ægrorum curationis ministeria: maxime demum solvunt atque enervant corpus nimium veneris, sanguinis profluvium, citæ alvi crebræ dejectiones, salivationes profusæ, diuturni morbi; præcipueque quos hypochondriasin et hysteriam nominamus.

Si quis ex horum aliquo fatigatus fuerit, nequaquam a febre inordinata securus erit: hunc oportebit igitur frigus omne, calorem nimium, humiditatem, omnigenam cœli intemperiem fugere; nam ea quoque hanc fe-

brem inferre possint iis, qui jampridem fuerunt proclives.

Præterea inordinatæ febris periculum est, uti HOFFMAN admonuit, ubi vetus ulcus cito glutinatum fuerit; ubi *exanthema* aliquod subito repulsum, vel sanguinis vel aliud profluvium repressum esset.

MORBI INDICIA.

SOLET hæc febris tam insidiosè irrepere, uti vix sit principio, quod sollicitari faciat: ægritudinis aliquid leve per plures dies premit: piget corpus movere, animum quamvis leniter intendere: illius vigor jacere incipit, hunc mœstitia et sollicitudo opprimere: æger crebra suspiria trahit: calorem modo, modo leve frigus, sæpe dolores vagos sentit; se febrire tamen interea vix concedet. Interdum quidem ingentem fervorem habent genæ manuumque volæ, partesque interiores, dum

caput ipsum multum insudet, atque pedes frigescant : nonnunquam demum frigidus sudor ita per corpus erumpit, uti haud omnibus partibus æqualis sit ; idem etiam decedere, iterumque redire ex incertis intervallis solet.

Arteriæ autem ægre, crebro, ac imprimis inordinate moventur ; modo juxta ac ipsa febris concitatae, modo resolutae et quietae sunt. Haud rarum est, ut ipsum cor suo muneri fungi prorsus desistat, atque æger animo linquat ; nam id fere obtinere solet lenta febre implicatis, ubi nimis illi se exercent, vel a quolibet animi affectu conturbantur. Aliquando etiam sanguis e naribus ruit, vel inter desidendum descendit *.

Ægri minime de nimia siti conqueruntur. Lingua solet initio satis humida et nitida esse ; postea vero albescere, arescere, inca-

* Vide Gilchrist, Ed. Med. Ess. t. vi, p. 45.—Manningham de Febricula, p. 80.—Willan, Dis. of Lond. p. 5.

lescere *, a humore glutinoso oblecta esse ; deinde maxime arida ac rubra fieri, fatiscere, atque cum æger eam edere ex ore conetur, admodum intremere ; neque ideo tamen multum sitis urget. Cum ita ista res se habeat, haud rarum est salivam insigniter profluere, quod quidem fere testatur ægrum esse in bona spe. Interea urina sæpius quam ex consuetudine editur ; eaque in principio morbi et colore et sedimento caret ; postea rubra est †, exque ea nubeculæ quædam quasi furfuris subsidunt, ac paulum aliquid olei simile ascendit ‡.

Solet præterea esse præcordiorum molestia, lenisque dolor, et tussis. Fastidium, nausea, frequens vomendi cupiditas, pituitæ vomitus urgent : item intestinorum dolores et alvi resolutio. Fœminis menstrua deesse consuescunt.

* Manning. p. 58.—Huxham on Fevers, p. 64.

† Willis, p. 100.

‡ Confer Gilchr. Ed. Med. Ess. t. iv, p. 280 ; t. vi, p. 45.—Hoffman, t. i, p. 239.

Premunt caput dolor, gravitas, vertigo : oculi lumen, aures sonos refugiunt ; ac aurium quidem tinnitus est : oriuntur præterea memoriæ defectio, leve delirium, coma ; atque profecto, quamvis æger soporare videatur, nequaquam tamen revera quiescere, aut somno frui, aut refici potest *.

Atque hæc febris lentæ signa pene perpetua sunt ; alia autem quædam aliquanto rarius incidunt. Commune enim harum atque aliarum quarundam febrium est, exiguas vesiculas, quæ aphthæ nominantur, oriri. Aliæ etiam vesiculæ nascuntur minores illis, miliarie appellantur : hæ vero deberi videntur calori nimio, quo antiquiores medici sudorem elicere, et febrem solvere moliebantur. “ Vidi etiam,” ait WILLIS, “ pustulas aquosas
“ in aliis partibus corporis excitatas, quæ in
“ ulcera cava, et ægre sanabilia transiebant †.”

* Alex. Trallian, lib. xii, cap. iv.—Huxham, p. 63.

† Willis, p. 108.

Haudquaquam vero hæc mala perseverant æquo tenore; sed ubi aliquandiu gravius urserint, solent nonnihil remittere, brevi demum recrudescere, iterumque intendere. Ingravescit autem hæc febris maxime assumpto cibo, ac veniente hespera; tunc enim caput magis premitur; spiritus ægrius trahitur; ingentiore fervore genæ et volæ obsidentur; arteriæ crebrius, firmitus moventur. Interdum etiam plures accessiones quotidie sine ordine concurrunt.

Atque hæc quidem incommoda per plurimos dies sæpe incidunt; tum graviora et periculosiora accedunt; marcet animus, corpus tabet, vires jacent. Arteriarum motus infirmissimi creberrimi fiunt; aliquando autem rariores et inordinati. Artus, maximeque pedes frigescunt; frigidi sudores profluunt, iidemque haud raro ita profusi sunt, ut cubantem quasi digerunt, atque de medio tollunt. Interdum crebræ, atræ, fœdæ, invitæ, insciæ dejectiones hominem solvunt. Ad hoc, caput et præcordia, iis malis, quæ jam

proposita sunt, sævius opprimuntur : sensus demum omnis stupef, corpus torpet, mors tandem rapit.

His propositis de febris lentæ signis, recordari aliquanto amplius conveniet, quamdiu, quemadmodumque hic morbus ægrum tenere solet ; at ea quidem clarissimus WILLIS, cujus verbis uti placebit, luculenter explicuit : “ Quinimo in omnibus,” ait ille, “ febris lenta et velut hectica perdurabat, neque sudore nec transpiratione insensili ita in totum amoveri potest, quin illa quotidie, præsertim a pastu, licet tenuissimo, redintegretur* ; atque per plures hebdomadas, ac interdum menses persistens, in summam atrophiam ægrôtantes redegit, et non raro eos tabe incurabili affecit †.

Ac ratio quidem hujus febris in plerisque talis est ; nonnunquam vero aliter quodammodo se protulit. Interdum intermittenti

* Willis, p. 109.

† Ibid. p. 106, 107.—Hoffman, t. i, p. 330.

febri similis, modo quotidianæ, modo tertianæ, modo quartanæ circuitum explevit : accessiones a leve frigore incipiunt ; deinde calor urget ; præcordiorum molestia est ; arteriæ concitantur *.

“ In aliquibus, licet non omnibus, tussis
“ valde molesta, cum sputo copioso ac crasso excitabatur : hæc in nonnullis circa
“ morbi declinationem successit ; verum in
“ aliquibus statim a febris initio, tussis immanis et foeda expuitio, cum diathesi velut tabida ingruebant, et ægrotantes subito ac improvise in phthisin præcipitabant ;
“ e qua tamen, tempestiva remediorum ope, sæpe insperato emergebant †.

Ac pectus quidem gravius quoddam incommodum, aliquanto tutius tamen, fatigare solet ; nam spiritus difficultas est ; laterum dolores ; præcordia distentionibus agitantur ; deliquium tandem animi est : fertur etiam,

* Willis, p. 120.—Manning. p. 50.

† Willis, p. 107, 123.—Willan, p. 19.

oculos interea nonnullis caligavisse. Ex his quidem timeri potest, inflammationis aliquid pulmones opprimere: scire tamen licet hos tutos esse, si ea incommoda ita pectus tenent, ut interdum intendant, interdum ex magna parte quiescant; ac si arteriæ, ut in hac febre solent, languide se attollunt *.

Fœminæ demum, quas inordinata febris implicat, ventrem tumidum ac intentum habent, nauseam, vomendi frequens desiderium suscipiunt, animo sæpius linqunt, atque, siquidem gravidæ sunt, abortu difficilive partu maxime periclitantur.

DIAGNOSIS.

PROVISIS demum causis indiciisque febrium lentarum, nunc requirendum est, quibus aliis febribus finitimæ, a quibus dis-

* Manning. p. 73.—Huxham, p. 69, 71.

pares, illæ maxime sint ; eo enim singulas optime perscrutari, atque omnes lucidissimo ordine digerere possimus. Auctores autem diversi, alii febrem lentam inter malignas, alii inter hecticas recenseri malebant : mihi quidem, perspectis omnibus quæ utriusque propria ac communia sunt, hæc febris cum hectica idiopathica conjunctissima visa est ; sed quoniam in aliquo dubio ea res se habeat, considerare conveniet, quæ de utraque parte vero proximum videri possit.

Ac imprimis annitar inter febrem lentam et malignam, indicia quæ intersint proponere. Eæ febres igitur, quod maxime quidem ad rem pertinet, nequaquam ex iisdem vel similibus causis oriuntur ; malignam febrem enim inferunt hominum conferti agminis effluvia, deinde febrientium ; hectica vero neque ex his causis solet fieri, neque ipsa contagium edit *. Uti a WILLIS quidem proditum est,

* Willan, p. 5. This disease does not arise from contagion ; nor seems to become infectious in its course.

“ hæc febris haud contagio vacabat, quippe
“ in eadem familia pueros et juniores suc-
“ cessive fere omnes invasit, etiam non raro
“ provectionis ætatis homines ; qui ægrotan-
“ tibus ministrando, circa eorum cubilia et
“ stragula familiariter versabantur, eadem lue
“ inficiebantur ; at vero haud tanta suspicio-
“ nis causa erat, ut propterea ægrotantium
“ amici ab eorum commercio aut visitatione
“ omnino interdicerentur *.” Jure autem
dubitari potest, an *ægrotantibus ministran-*
do, atque ideo e longa solitudine, noctur-
nisque vigiliis, præcipuis lentæ febris cau-
sis, quam a contagio ea febris potius orta es-
set ; ac WILLIS ipse quidem confessus est,
minime summam *suspicionis causam* fuisse.
Si quid vero dubii de hac re supersit, eo quo-
dammodo tolli potest, quod aliis auctoribus,
pro causa lentæ febris contagium nunquam
habetur.

Febris lenta, quamvis gravis, nequaquam

* Willis, p. 105.—Huxham, p. 61.

ea mala habet, quæ ex putrescente sanguine enasci olim existimatum est, quæque in maligna febre tam pernicioſa ſunt * ; talia quidem ſunt ſpiritus, ſudor, urina, alvus foediſſima, aphthæ nigræ, gangræna ; neque niſi rariffime petechiæ incidunt. WILLIS quidem, ſolus ex omnibus qui de hac febre ſcripſerunt, leves quasdam notavit ; “ interdum,” monet ille, “ maculæ exiguæ et petechiales
“ ſparſim apparuerunt : non audivi tamen
“ latiores aut lividas in huiusmodi ægrotis
“ conſpicuas fuiſſe †.”

Optime vero diſcernere poſſimus inter has febres, probe collatis utriusque acceſſione, curſu, deceſſu, ſpatio, ratione. Febris lenta inſidioſe ſubrepat, tarde procedit, occulte extat, diu perſeſſerat, maxime infirmat, ſolvit, digerit ; medicamentis difficulter cedit. Sin levis maligna febris fiat, his prorsus contraria obſervantur ; quamvis lenis enim illa

* Huxham, p. 60.—Pringle, p. iii, ch. vii.

† Willis, p. 108.

sit, accessio tamen citior, cursus brevior est, sine insigni imbecillitate, aut macie.

Sunt etiam quædam indicia febri lentæ adeo propria ut diagnosin subjiciant. MAN-
NINGHAM præsertim arteriis insistit, earum-
que motus infirmos, crebros, inæquales esse
proposuit; animus etiam mœstitia, sollicitu-
dine, plurimum elanguescit; lingua sensum
quendam fervoris intus habet, atque pariter
ac labra, arida est; paululum sitis, caloris,
multum sudoris; præcordia molestia, ventri-
culum nausea, intestina cita alvus fatigant.

Ac ea indicia imprimis insignia, mag-
naque ex parte lentæ febri propria sunt.
Præterea atque, lenis maligna febris uno fere
tenore cursum suum explet; lenta febris,
contra, plures accessiones, remissionesque
quotidie, inordinate, proferre solet*.

Atque ita discernere possumus inter fe-
brem lentam ac malignam; inter illam vero
et hecticam, arctior nexus intercedere vide-

* Selle Rud. Pyretol. Febres Atactæ.

tur. Imprimis autem causæ utriusque eadem sunt * ; nam infirmis hominibus, omnes causæ infirmitatis solent hecticam pariter atque lentam febrem movere: nonne igitur verisimillimum eas febres, quæ eandem prorsus originem habeant, et ipsas conjunctissimas esse?

Neque equidem, majore in modo, discrepant indicia rationesque harum febrium, quamvis quidam auctores inter eas distinguere enisi sunt. TRNKA, qui diserte de febre hectica scripsit, prodidit, “ lentas simplices
“ febriculas, tametsi plurimum ad hecticarum
“ accedant habitum, ac proinde sæpe difficulter a se mutuo discernantur, siquidem
“ ambarum calor gliscat, ac sub noctem intendatur, ægrique inappetentes, sitibundi,
“ debiles, tussiculosi, emacientur: tamen
“ hoc uno phænomeno ab se certo differunt,

* Confer Hoffman, p. 329. Lommio, p. 47-8. Manningham, p. vi, vii, p. 49, 51. Willis, p. 105, 107, 111. Huxham, p. 65. Willan, p. ix, x, p. 5, 19, &c.

“ quod in hecticis calor cum pulsu a pastu
“ increseat, non item in lentis, quæ hecticæ
“ non sunt; namque ubi lentæ calorem a
“ pastu semper intensiorem citatioremque
“ pulsum exhibere accipiunt, jam tum eas
“ in hecticam veram degenerasse, indicium
“ est. G. E. STAHLIUS ac F. HOFFMANNUS
“ operose omnia hecticarum lentarumque fe-
“ brium discrimina collegerunt; sed talia
“ sunt quæ in condenda diagnosi vix ullius
“ sunt usus; quandoquidem non tam e di-
“ versitate quam varia potius intensitate*
“ symptomatum et causarum, disparique
“ utriusque hujus febris eventu petita sunt.”
Ea differentia certe nimis frivola foret, siqui-
dem vera esset; eo autem magis quod WILLIS
diversa de hac re admonuit; “ in omnibus,”
inquit ille, “ febris lenta ita perdurabat, ut
“ quotidie, præsertim a pastu, licet tenuissimo,
“ redintegraretur.”

* Vide Petit-Radel Pyretologia, p. 288.

Febris lenta demum cum hectica omnibus his rebus congruere videtur, quibus a maligna differt : utraque eadem fere corpora obsident, iisdem causis proveniunt ; accessu, incessu, spatio, ratione, effectibus, consimillimæ sunt : pariter corpus diutissime tenent, infirmant, solvunt, consumunt ; eadem prorsus signa ostendunt ; plures accessiones remissionesque quotidie exhibent, præsertim ex cibo ac surgente vespero : tardissime demum, ut veniunt, desinunt, neque aliquid quod pro *crisi* habeatur, edunt.

Quoniam igitur febris lenta et hectica neque origine, nec ratione, nec fine, nec aliqua re libet, differunt, quonam modo pro diversis morbi generibus duci possunt ? Nonne potius habendæ varietates generis febris inordinati, quarum hectica, quam lenta, sit aliquanto gravior et periculosior ? Nam hæ febres juxta aliæ, variare possunt ex tempore anni, cœli tempestate, ægri habitu, sexu, vivendi et valetudinis consuetudine, vi ac duratione ipsius febris causæ. Neque sane alia re, *synochus*

biliosa, quam WILLAN Londini notavit, a lenta febre discrepare videtur : omni enim febris, quæ in æstatem incidit, bilis superesse solet. Synochus biliosa nihil contagii edit ; easdem quas febris lenta causas, rationem, spatium, eventum habet, atque juxta hæc, ut ipse WILLAN dixit, rationem hecticæ sub finem exhibet. De ea febre *synocho biliosa* requirere volo, an revera sit eadem, quam SAUVAGESIUS, a RIVERIO, hoc nomine memoravit * ?

SAUVAGES, febrem lentam typho, nomine typho cholecatarrhale†, adscivit ; a febre hectica omnino sejunxit : sed neque inter lentam ac hecticam, neque inter hanc atque genus amphimerinumdictum‡, clare discrevit. SELLE vero et PINEL lentam febrem a continuentibus segregaverunt, atque cum aliis quibusdam *inordinate* remittentibus, nomine *atactis* ille, *ataxiques* hic, collocaverunt : genus hecticarum febrium non instituerunt.

* Willan, p. 25. 42. 126. 276. 283.

† Vid. Gen. iv. Spec. 2. ‡ Vid. Gen. v. et vi.

PROGNOSIS.

PERICLITATUR in febre inordinata eo magis, quo magis vires deficient, ac ipsum corpus ta-
beat. Ea signa igitur, quæ indicant quantum ægri imbecillitas processerit, spei atque me-
tus nobis indicia sunt. Sudor levis, liber, tepidus, per totum corpus æqualis, securita-
tem pollicetur; si vero frigidus, viscidus, ni-
mis profusus, inæqualis sit, periculum testa-
tur. Item alvus leviter soluta bonum sig-
num est, et sæpe delirio et stupori succurrit;
eadem vero profusa, cruda, liquida, foeda, co-
lorata, maximeque si plumbi colorem habet
et inscio ægro descendit, periculosissima
est. Si urina e turbida, subito albior, limpi-
dior fit, delirium, tremores, subsultus tendi-
num, in propinquo esse denotat; si parca,
rubra, oleosa est, scire periclitari licet.
“ There is no evacuation of more favourable

“portent,” ait HUXHAM, “than a pretty
“free salivation without aphthæ: where this
“happens, with a kindly moisture of the skin,
“I never despair of my patient, however
“weak and stupid he may seem.”—“Where
“the deafness ends in an imposthume of
“the ear it is a good symptom, and so it is
“when a parotis suppurates, or a large pus-
“tular angry eruption breaks out about the
“lips and nose *.”

Ubi arteriarum motus infirmi et crebri
sunt, aut natura tardiores, et inordinati fiunt,
si devorandi difficultas et singultus oriun-
tur, mortem subesse sæpe testantur. Ad ulti-
ma vero ventum esse denuntiant musculorum
tremores et subsultus, delirium, vigilia, tor-
por, coma; alvus, urina, lachrymæ invite edi-
ta. Sanguinis profluvium sæpe mortiferum
est. In præcipiti demum æger est, ubi ore
hians jacet, porrectis manibus et cruribus;

* Huxham, p. 66. 73.

ubi deorsum subinde ad pedes dilabitur, brachia et crura nudat, jactatque; ubi denique,

“ In vultu color est sine sanguine; lumina mæstis

“ Stant immota genis: nihil est in imagine vivi.

“ Ipsa quoque interius cum duro lingua palato

“ Congelat; et venæ desistunt posse moveri.

“ Nec flecti cervix, nec brachia reddere gestus,

“ Nec pes ire potest *.”

MEDENDI RATIO.

Cum febres inordinatæ ægrum maxime infirmant, extenuant, et solvunt, iis remediis potissimum utendum est, quæ his malis prosperrime succurrunt: omnia quæ demunt corpori, cane pejus et angue timendum; quæ adjiciunt vero ac reficiunt, tanquam optimo præsidio fidendum est.

Aliqui auctores quidem, sanguinem e brachio mitti præceperunt, ineptæ, ut visum est,

* Ovid. Metam. Lib. vi, l. 304.

opinionem, innixi : nunquid enim periculosius quam eo vitæ fonte exhaurire, qui ipse jam sitire inceperit? Interdum autem fieri potest, ut inflammatio alicujus partis huic feбри accedat, cui non occurrere manifeste vituperabile foret; tum igitur cucurbitulæ et hirudines parti quam proxime admovendæ; remissius vero semper, potius quam nimium agendum.

Neque tutius erit movere alvum, quæ si modo nimis coacta est, leniter mollienda, ac sollicitanda est. HUXHAM quidem monuit, se expertum esse, alvum nimis citam multum detrimenti atque periculi intulisse *: idem vero præcepit, si ventriculus cruditate, nausea, aliisve hujusmodi incommodis pressus fuerit, vomitum leniter moliri, alvum subducere : majorem curam vero desiderat alvus fluens, quæ comprimimentibus medicamentis, præcipue opio, coercenda est.

Proficiunt plurimum inordinate febrienti-

* Huxham, p. 67.

bus, cinchona, angustura, aliaque quæ vires reficiunt; sed longe optima hujus febris remedia sunt, valens opimusque cibus, vinum gratum atque meracius hoc: vero oportet ita assumi, uti stomachum neutiquam gravetur, sed cum voluptate accipiatur, exque facili concoquatur. Ac vinum eo dandum est, quo corporis vigorem instauret, arteriarum motus firmet, nequaquam corpus excitet.

Prodest denique corporis remissior exercitatio, in rheda, atque, si sustineri potest, equo vehi; ubi febris jam inclinaverit, ambulandum ita est, uti lassitudo aut fatigatio minime inferatur.

FINIS.

**MED. CHIR. SOC.
ABERDEEN.**

ALBERTA
MID-CHINA BOOK

